



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Prima Duo Sæcula Complectens

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1758

VD18 13322648

§. 43. Quæstio de Paschate. Concilia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66002](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66002)

rum, qui digni sunt, aliquis per ignorantiam prætereatur, etiam illis, qui digni non sunt; aliquando etiam ob fervorem charitatis communicabit indigno, si instanter roget, non quidem quia ita rogari amat, nam non quærit gloriam suam, sed propter rogantis perseverantiam, quæ est aliqua ad fidem dispositio.

Sæculum II.
A.C. 194.

§. XLIII.

Quæstio de Paschate. Concilia.

Anno quarto Severi, Jesu Christi centesimo nonagesimo sexto quæstio de Paschate fervide mota fuit. Ecclesiæ Asianæ, antiquæ Traditioni inhærentes, Pascha eadem die celebrari volebant, qua Judæis agnum immolare fuerat præscriptum, id est, decima quarta Lunæ, in quamcunque hebdomadæ diem incidisset; aliæ Ecclesiæ, per orbem diffusæ, consuetudinem, a Traditione Apostolica acceptam servabant, & jejunare cessantes, Pascha illa die celebrabant, qua Salvator resurrexit, id est, Die Dominica, & nunquam alia. Hac de causa multa Concilia habita; unum Cæsareæ in Palæstina, in quo Theophilus illius Ecclesiæ Episcopus, & Narcissus Episcopus Jerosolymitanus præsidebant; Cassius Tyri, & Carus Ptolomaide Episcopi cum

*Euseb. in
Chron. lat.
an. 197.*

An. 196.
*Euseb. V. hist.
23.*

X x 4 pluri-

Sæculum II. pluribus aliis præsentibus fuere non solum
A. C. 196. ex Palæstina, sed etiam aliis Regionibus.

Ibi statutum, Pascha die Dominica celebrandum esse, dataque Epistola Synodalis, cujus clausula hæc erat: *Libenter Epistolæ nostræ exempla ad omnes Ecclesias transmittemus, ne & nobis culpa illorum, qui temere errori implicantur, imputari possit. Omnes etiam scire cupimus, Ecclesiam Alexandrinam eadem, quam nos, die festum celebrare; hac de re ipsi ad nos, & nos ad ipsos scribimus.*

Eus. V. hist.

c. 23.

791. 60

dep. na
ap. N. 100
82

Victor Papa hac ex causa Concilium Romam convocavit. Aliud Concilium Episcoporum Ponti habitum est, ubi Palmas Episcopus Amastriacus senio, & auctoritate præcipuus præfuit. Aliud Concilium Ecclesiarum Galliæ habitum, cui S. Irenæus præfedit. Aliud Bachilei Episcopi Corinthi. Aliud Ecclesiarum Osroenes, & viciniae, præter multa alia, in quibus communi concordia Pascha Die Dominica celebrare decretum est.

§. XLIV.

Epistola Polycratis.

Eus. V. hist.

c. 24.

Nemo alius majori zelo celebrandi Pascha die decima quarta effervescente visus, Polycrate Episcopo Ephesino; is, ad preces Papæ congregatis Asiæ Episco-